POMPONIVS rogatus, vt ſententiam dicat, ad ea nos ablegat, quae ſcripſit

*in Libro* XXII. *ad* Q. MVCIVM,

quorum hoc fragmentum ſupereſt in libris noſtris. c)

*Fructus percipiendo vxor, vel vir, ex re donata, ſuos facit: illos tamen, quos ſuis operis acquiſierit, veluti ſerendo: nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſilua caedit, non fit eius: ſicuti nec cuiuslibet bonae fidei poſſeſſoris: quia non ex facto eius; is fructus naſcitur.*

## §. II.

IACOBVS quidem CVRTIVS, a) quum in hanc quaeſtionem incidit: quos poſſeſſor bonae fidei fructus faciat ſuos, *frequens eſt quaeſtio, ac vetus*, inquit, *et quamuis tot modis, quot ingeniorum potuit excogitare acumen, iam olim verſata, tamen aduerſus experimenta pertinax: ita ſubinde, velut inſidiante (neſcio malignitatem dicam ſcriptorum, an naturae*

ita non ſcriptum legatur, ideo nihil corrigo. Neque is vnicus eſt locus, vbi *peruenire* hoc ſenſu dicitur, pro *prouenire*. Plane enim eodem ſenſu hoc verbo vſus eſt PAPINIANVS in *L.* 25. §. *vn.* D *vt legator. ſeu fideicommiſſor. ſeruandor. cauſſa cau.* vbi haec: *Contrarium non eſt, quod ſi medio tempore legatarius moriatur, & poſtea partus edatur, fructus perueniant; pecuniam pupillus exſoluat.* vbi peruenire fructus idem eſt, quod paullo ante dixerat *fructus naſci.*

c) in *L.* 45. D. *de vſuris & fructibus.*

a) Lib. II. εἰκαςῶν cap. 44. in EV. OTTONIS *theſauro iuris ciu.* *Tom.* V. *pag.* 182.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG